Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



Genesis

13.

oculos apparuerunt ei tres viri stantes prope eum / Quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi et adoravit in terram et dixit / Domine si inveni gratiam coram oculis tuis ne pertranseas servum tuum / sed afferam paululum aquae et lavent pedes vestri / et requiescite sub arbore / ponamque buccellam panis et confortate cor vestrum / postea transibitis / propterea enim declinastis ad servum vestrum / Qui dixerunt / fiat ut locutus es / festinavit abraham in tabernaculum ad saram / dixitque ei / Festina tria sata similae / commiste et fac subcinericios panes / Ipse vero ad armentum cucurrit / et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum deditque puero / Qui festinavit et coxit illum / Tulit quoque butirum et lac et vitulum / quem coxerat et posuit coram eis / Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore / Cumque comedissent dixerunt ad eum / Ubi est sara uxor tua / Ille ait / Ecce in tabernaculo est / Cui dixit / Revertens veniam ad te / nunc tempore et habebit filium sara uxor tua / Quo audito sara risit post ostium tabernaculi / Erant autem ambo senes / processeratque etatis et desierat sare fieri muliebria / Quare risit ridens / dicens / Postquam senui et dominus meus veterasti est voluptati operam dabo / Dixit autem dominus ad abraham / Quare risit sara dicens / Num vere parituram se anus / Numquid deo quicquam est difficile / Iuxta quod dixi revertar ad te / hoc eodem tempore / vita comite / et habebit sara filium / Negavit sara dicens / Non risi / sed timuit pavens / Dixitque autem / Non est mihi ita / sed risisti / Cum ergo surrexissent inde viri direxerunt oculos suos contra sodomam et abraham simul gradiebatur deducens eos / Dixitque dominus / Num celabo puerum abraham quem gestatus sum / cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam / et benedicende sunt in eo omnes nationes terre / Scio enim quod praecepturus sit filiis suis / et domui sue post se / ut custodiant viam domini / et faciant iustitiam et iudicium / ut adducat dominus / super abraham omnia quae locutus est ad eum / Dixit itaque ad eum dominus / Clamor sodomorum et gomorrae multiplicatus est / et peccatum eorum aggravatum est nimis / descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint / An non est ita ut sciam / Conversique sunt inde viri / et abierunt sodomam / Abraham vero adhuc stabat coram domino et appropinquans ait / Numquid perdis iustum cum impio / Si fuerint quinquaginta iusti in civitate perebunt / et non parces loco illi / propter quinquaginta iustos / si fuerint in eo / Absit a te ut rem hanc facias / et occidas iustum cum impio / efficiaturque iustus sicut impius / Non est hoc tuum qui iudicas omnem terram / Nequaquam faciet iudicium hoc / Dixitque dominus ad eum / Si invenero sodomis quinquaginta iustos in medio civitatis dimittam omni loco propter eos / Rndens abraham ait / Quia semel cepi loquar ad dominum meum / cum sim pulvis et cinis / Quid si minus quinquaginta quinque iustis fuerint / Delebis propter quadraginta quinque universam terram urbem / Et ait / Non delebo / Si invenero ibi xl v / Rursusque locutus est ad eum / Sum autem xl inventi fuerint / quid facies / Ait dominus / Non percutiam propter xl / Ne quaeso irascatur / si dixero / Quid si inventi fuerint ibi xxx / Rndit